



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac Maxime Illustrium


Brusch, Kaspar

Nürnberg, 1682

Ochsenhusium, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-38166

nicæ Incarnationis M. VII. Anno vero D. Henrici II. regnantis V. acta sunt hæc Ratisbonæ feliciter, Amen.



OCHSENHUSIUM, hac nostra ætate præclara & opulenta Abbatia, Benedictini instituti monachorum, in amoenissimo fertilissimoq; Sueviæ agro, duobus miliaribus à Memmingiaco, totidemq; ferè à Biberaco

*S. Blasii
Cœnob.*

ad Rodium fluvium, qui postea Danubium infuit, S. Blasii præpotenti Hercyniæ sylvæ monasterio incorporata. Id cœnobium à quibus cœperit construi, ignoratur. Hoc vero ab ejus loci cœnobitis dicitur, fuisse in perveteri S. Conradi sacello (quod hodie adhuc est in monasterii ingressu, ubi nunc est cœmeterium publicum) antiquitus monialium congregationem, quæ in bellis quibusdam tumultibus misere vexatæ, mandatis prius terræ rebus pretiosioribus & charissimis, inter quas particula etiam S. Crucis erat & aliquid S. Georgii, redeundi spe pacatis rebus, in exilium abiere, in quo cum mortuæ etiam essent omnes, defuit cœnobium & corruit plane habitatio monialium, donec postea

*Bos the-
saurum in
terra ab-
sconditū
aperit.*

bos quidam arator venit, qui calcibus pedum terræ tam diu insultans fodit, donec & clinodia & alia terræ mandata à mulierculis ornamenta aperirentur & conspicerentur: quæ cum ad circumjacentis vicinæ Dominos, Nobiles viros, Hatowinum, Conradum & Adelbertum, fratres de Wolffhartschwendin in vicinis

Goldbach

castris Burgbergo & Hohenburgo, circa Goldbachium templum, ab aureo quodam annulo, quem ibi nobilis quædam Domina à Wolffhartschwendin amiserat, sic dictum habitantes portata pervenissent, mox illi unanimiter consentientes restituendum hoc cœnobium existimarunt, & illico negotium aggressi

Otto de

Columna

creatur

Pontifex

Ochsen-

husium fit

Abbatia.

locum à monstratoris bovis nomine Ochsenhusium appellarunt, ubi præposituram construens S. Blasii Abbati eam subdiderunt, sub cujus dominio fuit cœnobium hoc ad tempora usque Constantiensis Concilii. Tum enim Otho de Columna, Cardinalis sedis Romanæ, Constantiam petiturus, cum Ochsenhusium transiret & illic aliquot diebus quiescens humaniter ab ejus loci

loci coenobitis tractaretur, tandem in ipsa synodo Constantiensi Romanæ Ecclesiæ Pontifex designatus, memor exhibitæ sibi benevolentia fecit ex præpositura, à S. Blasii jugo omni liberata & exempta, Abbatiam, præclare etiam aliis privilegiis à se dotatam: idque factum est anno Christi 1420. Abbates ab eo tempore ad hæc nostra usque hi fuerunt, quos communicavit mihi D. Gregorius Vitus Wick, patria Ulmensis, ejus pulcherrimi monasterii Prior doctus ac humanissimus.

1. *Nicolaus Fabri* de Biberaco, præpositus hujus loci ultimus, confirmatus est in Abbatem primum ab Othone Cardinale, Pontifice Maximo designato & Martini V. nova appellatione donato: eligitur vero anno Domini 1392. Præfuit 30. annis, & propter afflictam valetudinem resignavit anno Christi 1422. feria tertia ante corporis Christi festum.

2. *Henricus Faber*, Biberacensis, successit Nicolao cognato suo die Sabbato ante octavam corporis Christi. Præfuit annis 12. Obiit anno salutiferi partus 1434. sexta Martii.

3. *Michael Ruffelius*, Ulmensis, eligitur 10. Martii an. 1434. Confirmatur 17. Aprilis. Præfuit 34. annis. Resignavit anno salutis 1468. octava die Junii. Obiit anno gratiæ 1474. die Decembrium 24.

4. *Joannes Crispus*, ex Biberaco Imperiali civitate natus, successit Michaeli resignanti nona Junii anno 1468. Præfuit annis octo. Obiit anno Dominicæ Incarnationis 1476. vicesima septima Augusti.

5. *Jodocus Broderus*, Biberacensis, subrogatur Joanni rebus humanis exempto. Præfuit sex annis & resignavit anno Christi 1482. Exolvit carnis debitum 14. Kalend. Junii, anno Dñi 1529.

6. *Simon Lengenbergerus*, Bibracensis, præfuit Abbatia 16. annis. Decessit ex hac mortali vita anno Domini 1498. vicesima secunda Februar.

7. *Hieronymus Buchelbergerus*, è Dinckelspuhelio Imperiali in Rhiaesa oppido natus, eligitur 28. Februarii anno 1498. Præfuit 10. annis. Obiit secunda Kalendarum Septembrium anni nato Christo 1508.

Xx 2

8. An-

8. *Andreas Knittscherus* eligitur pridie Nonarum Septembrium anni prædicti. Præfuit annis 33. Obiit anno Domini 1541. nona Kalendarum Octobrium.

9. *Georgius Molitor* successit Andreae 10. Kalend. Octobr. Præfuit annis 6. Resignat in ipso tumultu Germanico.

10. *Gerwicus Blaurerus*, patria Constantiensis, Abbas Vinearum Sueviæ, eximie doctus ac prudens, ab unanimiter consentiente conventu postulatus est in Abbatem & administratorem Ochsenhusanæ etiam Abbatie anno Domini 1547. Præsides & huic Abbatie & Vinearum potentissimo monasterio, prope Ravenspurgum sito, hoc adhuc currente Jubilæo, Imperatoris D. Caroli V. consiliarius.

Vinearum
Cœnob.

OENINGUM, cœnobium pervetustum, in dextra Rheni supra Steinium Hegoviæ oppidum situm, olim Benedictinæ professionis monachorum, postea vero Canonicorum regularium S. Augustini, fundatum legitur ab eisdem nominis Comitibus, quorum stirps defecit anno Christi 1430. Fundatorem, Chunnonem vocant Comitem Oeningensem, qui, cum ex Richlira uxore quatuor filios excepisset, eosq; immatura mors mox iterum sustulisset, mœrore propter tantam infelicitatem adeo percussus est, ut, omnibus animi cogitationibus ad religionis studia versis, cœnobiū de facultatibus suis construeret: quo vero id anno factum sit, nusquam lego. Putant aliqui, hos Comites antiquitus *Venetos Comites* cognominatos, tandem corrupta & depravata voce Oeningenses dictos, & ab illis ipsis inferiorem lacum Bodamicum, qui non procul abest ab hoc cœnobio, Veneti appellatione nobilitatum esse, cujus rei iudicium lectori relinquo. Catalogus ejus loci præpositorum talis mihi à cœnobiis communicatus est.

Comites
Oeringen
ses quon-
dam Ve-
neti ap-
pellati.
Catalog.

1. *Wertingus.*
2. *Joannes Pirnius.*
3. *Waltherus de Uberlinga.*
4. *Joannes de Schwandorff.*
5. *Henricus Besserer.*

6. *Joan.*